Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

lium fratribus suis. Cumque pariter prompto animo procederent Ierosolimam: apparuit precedens eos equus in veste candida armis aureis hastam vibrans. Tunc omnes simul benedixerunt misericordem dominum: et convaluerunt animis: non solum homines sed et bestias ferocissimas et muros ferreos parati penetrare. Ibant igitur prompti de celo habentes adiutorem et miserantem eos dominum. Leonum autem more impetu irruentes in hostes, prostraverunt ex eis .xi. milia peditum et equitum mille sexcentos: universos autem in fugam verterunt. Plures autem ex eis vulnerati nudi evaserunt. Sed et ipse Lysias turpiter fugiens evasit. Et quia non insensatus erat, secum ipse reputans factam erga se diminutionem et intelligens invictos esse Hebreos dei omnipotentis auxilio innitentes: misit ad eos: et promisit se consensurum se omnibus que iusta sunt: et regem compulsurum amicum fieri. Annuit igitur Machabeus precibus Lysie in omnibus utilitati consulens: et quecumque Machabeus scripsit Lysie de Iudeis ea rex concessit. Nam scripte erant Iudeis epistole a Lysia quidem hunc modum continentes. Lysias populo Iudeorum salutem. Iohannes et Abesalon qui missi fuerant a vobis, tradentes scripta postulabant ut ea que per illos significabantur implerem. Quecumque igitur regi potuerunt perferri exposui: et que res permittebat concessi. Si igitur in negotiis fidem conservaveritis: etiam deinceps bonorum vobis esse causa temptabo. De ceteris autem per singula verbo mandavi et istis et his qui a me missi sunt colloqui vobiscum. Bene valete. Anno centesimo .xl. viii. dioscori mensis die .xx. et quarta. Regis autem epistola ita continebat.

Rex Antiochus Lysie fratri salutem. Patre nostro inter deos translato: nos volentes eos qui sunt in regno nostro sine tumultu agere et rebus suis adhibere diligentiam: audivimus Iudeos non consensisse patri ut transferrentur ad ritum Grecorum: sed tenere velle suum institutum: ac propterea postulare a nobis concedi sibi legitima sua. Volentes igitur hanc quoque gentem quietam esse: statuentes iudicavimus templum illis restitui: ut agerent secundum suorum maiorum consuetudinem. Bene igitur feceris si miseris ad eos et dexteram dederis: ut cognita nostra voluntate bono animo sint: et utilitatibus propriis deserviant. Ad Iudeos vero epistola regis talis erat. Rex Antiochus senatui Iudeorum et ceteris Iudeis salutem. Si valetis sic est ut volumus: sed et ipsi bene valemus. Adiit nos Menelaus dicens velle vos descendere ad vestros qui sunt apud nos. His igitur qui commeant usque ad diem tricesimum mensis Xandici damus dextras securitatis: ut utantur cibis et legibus suis sicut et prius: et nemo eorum ullo modo molestiam patiatur. De his autem que per ignorantiam gesta sunt, misimus et Menelaum qui vos alloquatur. Valete. Anno centesimo .xl. viii. Xandici mensis .xv. die. Miserunt etiam Romani epistolam ita habentem. Quintus Memmius et Titus Manilius legati Romanorum populo Iudeorum salutem. De his que Lysias cognatus regis concessit nobis: et nos concessimus. De quibus autem ad regem iudicavit referendum: confestim aliquis mittite diligentius inter vos conferentes: ut decernamus sicut congruit nobis. Nos autem Antiochiam accedimus. Ideoque festinate rescribere: ut nos quoque sciamus cuius estis voluntatis. Bene

machabe[us]